

(pareat mihi Cicero:) Germanicè ein pfätz oder druck-
 pfennig appellari potest. Interim tamen non est diffiten-
 dum, avaritiam & illiberalitatem semper cohabitare sub
 uno tecto. Quod autem Aristoteles illiberalitatem defi-
 nit τῷ δίδοναι μὴ ἐλλείπουσαν, τῷ λαμβάνειν δὲ ὑπερβάλ-
 λουσαν, lib. 4. Ethic. cap. 3. recentioribus non placet. Hi
 enim volunt proprium objectum illiberalitatis non esse
 λῆψιν (hæc enim avari est) sed δόσιν ἢ ἀρέσιν, quâ voce
 utitur Aristot. lib. 2. Ethic. cap. 7. nimirum quatenus hîc
 deficit. Porro exemplum illiberalitatis habemus in Na-
 bal, qui com meatum denegabat Davidi, 1. Sam. 25. v. 10.
& 11. In divite epulone, Luc. 16. Illiberalitas in regibus &
 principibus Aristoteli dicitur μικροπρέπεια, quasi dicas,
 parvificentia, indecora parsimonia, qualis fuit in Hatto-
 ne episcopo Moguntinensi, qui à muribus fuit exesus,
 propterea quòd anno Christi 914. sub summa annonæ
 caritate, multos ex subditis pauperes horreo inclusos
 concremaverat, quorum ejulatus murium esse dixerat;
 id autem ideò fecerat, ne aliquid in pauperes erogaret.
 Vide Cosmograph. Sebast. Munsteri.

*Exemplum
 illiberali-
 tatis.*

~~~~~

### Cap. XXV. De Justitiâ.

**S**equitur virtus communicativa quæ tribuit  
 debitum, & dicitur Justitia.

2 Justitia est virtus, qua homo promptus est  
 ad unicuique tribuendum secundum juris teno-  
 rem, quod suum est.

**SCHOL.** Græcè dicitur δικαιοσύνη, quasi dicas, habi-  
 tus justè agendi. Utrum jus à justitiâ, an verò justitia à  
 jure derivetur, in controversiâ est. Sed Logica deductio  
 viam monstrat: Causa est prior effecto, & effectum pen-  
det à causâ. Jam verò certum est, justitiam esse habitum  
 qui ex crebris juris actionibus resultat. Justitia igitur ju-